

debent sanctitate vitae et scientia spectatissimos, aut saltem illis dotibus ornatos, quas Sacri Canones, et privilegium Apostolicum, aut pacta conventa postulaverunt: secus enim Pontifex nominationem oblatam jure meritoque non admittit. Sic autem nominati nullum jus Ecclesiae gubernandae ante confirmationem consequuntur, quod multis probat Zypaeus de Jurisd. Ecclesiast. lib. 1, cap. 37. Vide quae scripsimus in Jure Pub. Eccl. 1, 3, c. 1, § 60.

§ 39.

DE CONFIRMATIONE EPISCOPORUM.

Confirmatio est electi vel nominati approbatio, seu decre-
tum Pontificis, quo electus vel nominatus probatur, et Pastor
Ecclesiae constituitur. Electus ipse aut nominatus intra men-
sem a die electionis vel nominationis, aut infra tempus in
Apostolico Indulso praeferendum per se, aut per Procuratorem
petere confirmationem omnino debet. Tribuitur autem confir-
matio a Pontifice prævia causae cognitione, et in Consistorio
Cardinalium, unde videtur Consistorium successisse in locum
Synodi Provincialis in qua presidente Metropolita Episcopi
confirmabantur. Causae cognitio versatur super natalibus,
aetate, morum honestate, scientia, aliquisque dotibus quae in
Episcopo desiderantur. Si electus vel nominatus extra Italiam
commoretur, inquisitio de ipsis qualitatibus a Nuntio Apo-
stolico, vel ab alio Ordinario de speciali Pontificis mandato
instituitur, et processus inde confectus Romam mittitur. In
Italia vero atque Insulis adjacentibus electi vel nominati coram
ipso Pontifice periculum doctrinae faciunt, eorumque proces-
sus in Urbe conficitur, quibus absolutis totius inquisitionis et
examinis acta Cardinali relatori seu proponenti traduntur, at-
que tum ab ipso, tum ab aliis tribus Cardinalibus Ordinum
Capitibus serio expensa, et subscriptione roborata ab eodem

§ XL. DE CONSECRATIONE EPISCOPORUM. 65

Relatore in Consistorio referuntur, quod dicitur *præconizare*. Dein in eodem Consistorio, nisi Pontifici expedire videatur in alterum Consistoriorum rem differre, ut melius Cardinales possint dotes Candidati despicer, judicium de ipsius idoneitate profertur, quod *propositionem* appellant. Tum denique Pon-
tifex consultis Cardinalibus, et solemni verborum formula de-
cretum confirmationis emittit.

Verum cum Episcopum faciat confirmatio, duo praecipui
ejusdem confirmationis effectus sunt. Primus est nexus, seu
vinculum conjugii spiritualis Episcopum inter et Ecclesiam;
quod proinde Episcopus nequit sua auctoritate dissolvere,
neque Ecclesiam derelinquere: et Ecclesia nequit Episcopum
ipsum repudiare, si ex. gr. ob infirmitatem, aliamve causam
supervenientem factus impotens fuerit; nam quod attinet ad
spirituale vinculum Episcopi et Ecclesiae, Episcopus confirma-
tus pro consecrato habendus est. Alter effectus in eo positus
est, quod Episcopus jus in re, seu plenam Ecclesiae admini-
strationem et sacram jurisdictionem accipiat, iis exceptis quae
sunt ordinis seu consecrationis Episcopalis, quae tamen alteri
Episcopo delegare potest, quod hujusmodi delegatio potestate
jurisdictionis contineatur. Ne quis tamen pro Episcopo habeat-
ur, qui Episcopus non fuerit, cautum est ut Episcopi confir-
mati tum demum administrationem Ecclesiae suscipiant, cum
litteras Pontificis, quæ confirmationem testentur, jam acce-
perint et Capitulo exhibuerint, et si Capitula quempiam Epi-
scopum sine Apostolicis litteris receperint, a beneficiis ecclie-
siasticis suspenduntur.

§ 40.

DE CONSECRATIONE EPISCOPORUM.

Confirmationem sequitur consecratio, quam Episcopus sus-
cipere debet infra tres menses ab impetrata confirmatione,

quibus elapsis, si consecratus non fuerit, perceptos fructus amittit, Ecclesiam quoque ipso jure amissurus, si ad tres alios menses consecrationem protraxerit. Consecratio autem est ritus sacer quo culmen et complementum Sacerdotalis Ordinis confertur, ut proinde Episcopus consecratus non solum nomine et dignitate, verum etiam potestate Ordinis Presbyteris antecellat, multaque efficere possit quae Presbyteri nequeunt, veluti conferre Ordines, chrisma conficere, eoque inaugurate Ecclesias et altaria consecrare, et hujusmodi.

At eum consecrare Episcopum non licet, qui Presbyter antea non fuerit. An vero consecratio Episcopalis valida foret, si collatio Presbyteratus non antecesserit, in quaestionem vocatum est: sed tunc et communis sententia tenet, consecrationem Episcopi Presbyteratu omissa non consistere, nullumque exemplum certum et exploratum exstat de Episcopatu non Presbytero collato, qua de re confer Joannem Morinum de Sacr. Ordinat. part. 3 exercit. 11 cap. 2. Præterea ad Episcopi consecrationem tres Episcopi requiruntur, quorum unus consecrator dicitur, reliqui duo adstantes: idque semper in Ecclesia custoditum est. Haec vero trium Episcoporum praesentia potius ad disciplinam quam ad consecrationis validitatem spectat, quandoquidem saepius Pontifices indulserunt, ut in remotis regionibus, ubi copia trium Episcoporum haberi non facile posset, consecratio ab uno Episcopo celebraretur, quod multis ostendit Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. 13 cap. 13 n. 2 et seqq.

In praesenti Ecclesiae disciplina nullus Episcopus licite potest consecrari nisi a Romano Pontifice, vel ex ejus mandato speciali, quod initio consecrationis recitandum est; quare Consecrator ante omnia quaerit: — Habetis mandatum Apostolicum? — Consecratio autem aut Romae, aut in ipsa Ecclesia ad quam consecrandus assumptus est, aut saltem in provincia, si fieri possit, celebranda est Die Dominica, aut Apostolo sacra post actum antecedenti die jejunium, manuum imposi-

§ XLI. DE ELECT. AD PRAELAT. REGULARES. 67

tione, annuli et baculi traditione, unctione chrismatis, libri Evangeliorum supra caput Consecrandi impositione, aliisque exhibitis ritibus, quos Pontificale Romanum titulo de Consecr. Episcop. singillatim describit. Tanti vero consecratio Episcopalis facienda est, ut ejusdem anniversariam memoriam recolere quilibet Episcopus in sua Ecclesia debeat, quod traditio Majorum acceptum est: plurimi enim exstant sermones veterum Patrum habitu natali Episcoporum die, hoc est die consecrationis singulis annis recurrente.

Praestantissimus consecrationis effectus est character Episcopalis, vi cuius praeter divinam gratiam ad Episcopatus munia rite obeunda Consecratus accipit omnem ordinis potestatem et plenitudinem Sacerdotii, deinde vero spirituale matrimonium cum Ecclesia consummatum intelligitur, et appellatione Fratris a Pontifice honoratur. Porro ipso jure vacant Beneficia omnia, quibus Consecratus antea fruebatur, non vero pensiones ecclesiasticae, quae hac in re stricto nomine beneficij non accipiuntur.

In ipso actu consecrationis Episcopus consecrandus professionem fidei emittit, et Sacramento fidelitatis et obedientiae Romano Pontifici sese adstringit. De hoc jurejurando vide Paschalem II in cap. SIGNIFICASTI 4 de Election. et Elect. potest., et Gonzalez in ejus capitulis explanationem, nec non Barthel Opusculorum juridic. tom. 2. Opus. 4. in quaestione inaugurali, ubi quaerit: — Cujus disciplinae sit juramentum, quod in actu consecrationis Episcopi Germaniae Romano Pontifici praestant, et an hoc Imperatori et Imperio noxiun sit? —

§ 41.

DE ELECTIONE AD PRAELATURAS REGULARES.

De Praesulum Regularium electione quaedam specialia sunt. Eligere non possunt Regulares 1. qui nondum professi

sunt : 2. qui sunt quidem professi, sed inter fratres laicos : 3. qui tanquam proprietarii convicti sunt, siquidem per biennium voce activa et passiva privantur : 4. qui demum ex Ordine Mendicantium ad Ordinem non Mendicantium etiam dispensatione Apostolica transierunt, namque ex Clement. 2^a de Regular. nec vocem, nec locum habent in Capitulo.

Quod vero pertinet ad eligendos, eligi non possunt nondum expresse professi, et universim Regulares omnes qui eligere nequeunt, nec possunt eligi. Excipe tamen Irregulares, de quibus si censura aut aliud impedimentum non obsit, plerique Doctores dubitant an quemadmodum ad dignitates et officia sive regularia, sive saecularia eligi nequeunt, sic etiam eligere prohibeantur, cum enim irregularitas sit inhabilitas ad ordines suscipiendos, susceptosque exercendos, videntur irregulares eligi haud posse, quod praelaturis et dignitatibus aliquod sacri ordinis munus semper conjunctum sit, sed tamen eligere posse, quod in facienda electione nullum ordinis munus exerceatur. Verum hac in re illud Regularibus peculiare est, quod religiosa professio, quamquam ex natalibus ortam irregularitatem abstergat ad ordines suscipiendos, eos tamen ad dignitates obtinendas habiles et aptos non efficiat. Praeterea ex decreto Cong. Episcop. et Regul. 7 Februario 1648 Regulares nec voce activa, nec passiva fruuntur, « nisi collocati de familia in aliquo Conventu per tres menses immediate proximos capitulo celebrando ibidem perpetuo permanserint. » Cavit item Concilium Tridentinum sess. 25 cap. 7 de Regular. ne Abbatissae, aut Priorissae, aliaeve Monialium Praefectae crearentur, nisi quadragenariae, et quae octenium saltem religiosae professionis expleverint, jussisse ut Episcopus, aut qui ejus mandato Monialium electiibus praestet, secreta Monialium suffragia e fenestrella colligeret, nec claustra ingredieretur.

Quod ad formam electionis attinet, eadem Tridentina Synodus sancivit, ut electio per vota secreta celebraretur, et elius

§ XLI. DE ELECT. AD PRAELAT. REGULARES. 69

gentium nomina nunquam publicentur; quo quidem decreto sublatae sunt Regularium electiones per inspirationem et compromissum, quod S. Congregatio Concilii saepius declaravit. Caeterum electio per compromissum secretum consistere videtur, quandoquidem, ut observat Remigius Maschat Instit. can. lib. 1 ad titul. DE ELECT. § 4. « Dispositio Tridentini ad evitandas discordias et inimicitias in Religiosos facta sustulit formam inspirationis et compromissi, dum fiunt per vota publica : si tamen compromissum more scrutinii fiat per vota secreta, non est sublatum per Tridentinum, cum idem finis obtineatur. » Collatis autem suffragiis omnibus major numerus praevalet ; et si nullus a majori parte electus sit, scrutinium iteratur : schedulae vero concremantur. Multa Congregationum decreta de validitate electionem Regularium concessit Ubaldus Giraldi in exposit. Jur. Pontif. part. 2. ad sess. 25 Concil. Trid. cap. 6. de Regular.

Confirmatio ab immediato Superiore petenda est. Hinc Praepositi Generales Ordinum, Abbates, aliisque Praelati Regulares exempti, et Apostolicae Sedi immediate subjecti a Pontifice confirmantur, nisi forte privilegio aucti sint, quo ab eorum in electionem consensu plenam jurisdictionem et administrationem sine ulla confirmatione obtineant, eoque privilegio Generales Ordinum Mendicantium donatos esse testatur Passerinus de Elect. cap. 33. Provinciales autem et Abbates, exempti a jurisdictione Episcopi, non tamen Apostolicae Sedi immediate subjecti a Praeposito Generali; Piores et Guardiani a suo Provinciali confirmationem accipiunt, Praelati autem Regulares a jurisdictione Episcopi non exempti ab eodem confirmandi sunt. Pariter Abbatissae et Priorissae Sedi Apostolicae immediate subjectis confirmatio a Pontifice tribuitur, exemptae vero ab Episcopi jurisdictione, sed alicui Virorum Monasterio obnoxiae a Superiore ipsius Monasterii, reliquae omnes ab Episcopo confirmantur. Vide Leurenium in foro Benef. sect. 2. cap. 3. de Confirm. quaest. 461 et 462.

Verumtamen hac in re, et in caeteris quæ ad Regularium electionem pertinent, speciales Constitutiones, consuetudines et privilegia singulorum Ordinum servanda sunt.

Abbatibus qui Episcopis honore proximi, et quoniamdam Episcopaliū munerum participes sunt, consecrationis loco benedictio tribuitur, quae ab aliquibus minus proprie consecratio appellatur. Nam Benedictio Abbatum characterem Ordinis non imprimit, et ferme in eo tantum consecrationem sequitur, quod iteranda non sit, etiamsi Abbas ad alterius Monasterii regimen eligatur. Abbates Regulares perpetui ex Constit. Benedicti XIII quae incipit COMISI NOBIS infra annum ab electionis die benedictionem juxta ritum in Pontificali Romano praescriptam suscipere debent, nec interea Pontificalibus indumentis, nec ipsorum usu potiuntur, quandoquidem ex can. 14 Concilii Nicaeni II, et Ordo Presbyteratus et Benedictio Episcopalis in Abbatे postulantur, ut minores Ordines conferre possit. Huic tamen Canoni peculiaribus privilegiis interdum derogatur, quod observat Benedictus XIV de Synodo Dioeceses. lib. 2 cap. 11 n. 9. Abbates exempti aut in Curia Romana benedicuntur, aut etiam alibi ex Summi Pontificis mandato: non exempti autem ab Episcopo, in cuius Dioecesi Monasterium positum est, benedicuntur. Quaenam autem sit Abbatum potestas in usu Pontificalium, in collatione minorum Ordinum, in regimine et administratione spirituali et temporali, late disserit Barthel Opuscul. jurid. tom. II. Opus 5.

Abbatissae quoque nonnullorum Monasteriorum benedici solent per sacram caeremoniam, in qua Episcopus orat ut Abbatissa electa Monialibus sibi creditis pie sancteque invigilet. Si Abbatissae benedici solitae infra annum a die confirmationis suaे benedictionem petere negligent, excidunt omni jure quod consequutæ fuerant, Clement. 2^a de Statu Monac. et Canonic. Regul. Sed Abbatissis in Moniales et Clericos Monasterio addictos nulla est jurisdictionis spiritualis, ad

quam accipiendam foeminae non sunt idoneae: tantummodo quidquam vetare possunt aut jubere, monere et corrigere, quod passim tradunt Interpretes ad caput DILECTA de Majorit. et Obedient.

Nihil hoc loco dicimus de electione ad Dignitates et reliqua officia Canonicalia, quod ex communi sententia Doctorum necesse non est, ut forma electionis proprie dictae in iis conferendis observetur, et idcirco suffragia palam et aperte ferri possunt et accessu compleri, neque ulla confirmatione opus est. Sufficit enim ut Capitulum collegialiter congregatum, aut major totius Capituli pars in personam idoneam consentiat.

CAPUT VI.

DE SACRIS ORDINATIONIBUS.

DE ORDINATIONE CLERICORUM.

Sed jam videndum est, quemadmodum potestas Ordinis per Sacram Ordinationem conferatur. Ordo latine significat aptam rerum dispositionem, aut gradum quemdam personarum seu dignitatem, unde persona distat a persona, uti Ordo Senatorius, quo Senatores a reliqua plebe distinguebantur. Hac ratione in Ecclesia Ordo Clericalis est gradus quidam personarum, quae ad sacra obeunda mysteria addictae eaque de causa a Laicis distinctae sunt. Quia vero cuique Clerico diuersus ordo sive diversa potestas data est, ut alii aliis praestantiores sint, sic pro varietate ordinum, sive potestatis vari sunt etiam gradus Clericorum. Igitur sacra potestas singulorum graduum propria ordo dicitur, modus, autem quo potestas tribuitur, sacra ordinatio vocatur, et idcirco quemad-